

De enunc. simpl. affir. & neg. 235
pulam principalem, negat, si per se spectetur,
omne, quod post se invenit, totumque præ-
dicatum removel à subiecto; & si contingat,
ut post se inveniat prædicatum conjunctum
seu compositum, negat omnia, non seorsim,
sed conjunctim sumta, e. g. *homo non est animal
volans*, hic negatio negat totum prædicatum
de subiecto non seorsim *animal*, & seorsim
volans, sed conjunctim *animal volans*, ut
ita sensus non sit. hominem non esse animal,
nec volare; sed hominem non esse tale ani-
mal, quod volet.

CAP. V.

DE

ENUNCIATIONE
UNIVERSALI, PARTICU-
LARI, INDEFINITA ET
SINGULARI.

I.

CONsideratò nunc primò enunciationis
prædicatò absolutò, nempe affirmati-
one & negatione, de reliquis quoque a-
gendum est, cujusmodi sunt, quod enun-
ciatio est vel universalis vel particularis,
indefinita vel singularis, de quibus ordi-
ne,

2. Pro-